

## AMBROSIUS

## HYMNES (278 vers)

## HYMNUS I

A1 v.1 Aeterne rerum conditor,  
 2 noctem diemque qui regis,  
 3 et temporum das tempora,  
 4 ut alleves fastidium,  
 5 praeco diei jam sonat,  
 6 noctis profundae pervigil,  
 7 nocturna lux vianibus,  
 8 a nocte noctem segregans.  
 9 Hoc excitatus Lucifer,  
 10 solvit polum caligine,  
 11 Hoc omnis errorum chorus,  
 12 viam nocendi deserit.  
 13 Hoc nauta vires colligit,  
 14 Pontique mitescunt freta,  
 15 hoc ipsa petra Ecclesiae  
 16 canente, culpam diluit.  
 17 Surgamus ergo strenue,  
 18 gallus jacentes excitat,  
 19 Et somnolentos increpat,  
 20 gallus negantes arguit.  
 21 Gallo canente, spes redit,  
 22 aegris salus refunditur,  
 23 mucro latronis conditur,  
 24 lapsis Fides revertitur.  
 25 Jesu, labantes respice,  
 26 et nos videndo corrige ;  
 27 si respicis, lapsus cadunt,  
 28 fletuque culpa solvitur.  
 29 Tu lux refulge sensibus,  
 30 mentisque somnum discute :  
 31 te nostra vox primum sonet,  
 32 et vota solvamus tibi.

## HYMNUS II

A2 v.1 Deus creator omnium,  
 2 polique rector, vestiens  
 3 diem decoro lumine,  
 4 noctem soporis gratia.  
 5 artus solutos ut quies  
 6 reddat laboris usui,  
 7 mentesque fessas allevet,  
 8 luctusque solvat anxios.  
 9 Grates peracto jam die,  
 10 et noctis exortu preces,  
 11 votis, reos ut adjuves,  
 12 hymnum canentes solvimus.

13 Te cordis ima concinant,  
 14 te vox canora concrepet,  
 15 te diligat castus amor,  
 16 te mens adoret sobria.  
 17 Ut cum profunda clauserit  
 18 diem caligo noctium,  
 19 Fides tenebras nesciat,  
 20 et nox fide reluceat.  
 21 Dormire mentem ne sinas,  
 22 dormire culpa noverit,  
 23 custos fides refrigerans,  
 24 somni vaporem temperet.  
 25 Exuta sensu lubrico,  
 26 te cordis alta somnient ;  
 27 nec hostis invidi dolo  
 28 pavor quietos suscitet.  
 29 Christum rogemus et patrem,  
 30 Christi Patrisque spiritum,  
 31 unum potens per omnia  
 32 fove precantes Trinitas.

### HYMNUS III

A3 v.1 Jam surgit hora tertia,  
 2 qua Christus ascendit crucem,  
 3 nil insolens mens cogitet,  
 4 intendat affectum precis.  
 5 Qui corde Christum suscipit,  
 6 innoxium sensum gerit :  
 7 votisque praestat sedulis,  
 8 sanctum mereri Spiritum.  
 9 Haec hora qua finem dedit  
 10 diri veterno criminis,  
 11 mortisque regnum diluit,  
 12 culpamque ab aevo sustulit.  
 13 Hinc jam beata tempora  
 14 coepere Christi gratia :  
 15 fide replevit veritas  
 16 totum per orbem Ecclesias.  
 17 Celso triumpho vertice,  
 18 Matri loquebatur suae :  
 19 "En filius, mater, tuus ;  
 20 apostole, en mater tua."  
 21 Praetenta nuptae foedera  
 22 alto docens mysterio ;  
 23 ne virginis partus sacer  
 24 Matris pudorem laederet.  
 25 Cui fidem coelestibus  
 26 Jesus dedit miraculis :  
 27 nec credidit plebs impia ;  
 28 qui credidit, salvus erit.  
 29 Nos credimus natum Deum,  
 30 partumque Virginis sacrae,  
 31 peccata qui mundi tulit,  
 32 ad dexteram sedens Patris.

**HYMNUS IV**

A4 v.1 Veni, redemptor gentium,  
 2 ostende partum Virginis,  
 3 miretur omne saeculum :  
 4 talis decet partus Deum.  
 5 Non ex virili semine,  
 6 sed mystico spiramine,  
 7 verbum Dei factum caro,  
 8 fructusque ventris floruit.  
 9 Alvus tumescit Virginis,  
 10 claustrum pudoris permanet,  
 11 vexilla virtutum micant,  
 12 versatur in templo Deus.  
 13 Procedens de thalamo suo,  
 14 pudoris aula regia,  
 15 geminae Gigas substantiae,  
 16 alacris ut currat viam.  
 17 Egressus ejus a Patre,  
 18 regressus ejus ad Patrem ;  
 19 excursus usque ad inferos,  
 20 recursus ad sedem Dei.  
 21 Aequalis aeterno Patri  
 22 carnis tropaeo accingere  
 23 infirma nostri corporis  
 24 virtute firmans perpeti.  
 25 Praesepe jam fulget tuum,  
 26 lumenque nox spirat novum,  
 27 quod nulla nox interpolet,  
 28 fideque jugi luceat.

**HYMNUS V**

A5 v.1 Illuminans Altissimus  
 2 micantium astrorum globos,  
 3 pax, vita, lumen, veritas,  
 4 Jesu fave precantibus.  
 5 Seu mystico baptisate  
 6 fluenta Jordanis retro  
 7 conversa quondam tertio  
 8 praesente sacraris die.  
 9 Seu stella partum Virginis  
 10 coelo micans signaveris ;  
 11 et hac adoratum die  
 12 praesepe Magos duxeris.  
 13 Vel hydriis plenis aquae  
 14 vini saporem infuderis :  
 15 hausit minister conscius,  
 16 quod ipse non impleverat.  
 17 Aquas colorari videns,  
 18 inebriare flumina ;  
 19 mutata elementa stupent  
 20 transire in usus alteros.  
 21 Sic quinque millibus viris  
 22 dum quinque panes dividis,  
 23 edentium sub dentibus  
 24 in ore crescebat cibus.

25 Multiplicabatur magis  
 26 dispendio panis suo :  
 27 quis haec videns mirabitur  
 28 juges meatus fontium ?  
 29 Inter manus frangentium  
 30 panis rigatur profluus :  
 31 intacta quae non fregerant,  
 32 fragmenta subrepunt viris.

#### HYMNUS VI

A6 v.1 Orabo mente Dominum,  
 2 orabo simul spiritu ;  
 3 ne vox sola Deo canat,  
 4 sensusque noster alibi  
 5 ductus, aberret fluctuans,  
 6 vanis praeventus casibus.

#### HYMNUS VII

A7 v.1 Splendor Paternae gloriae,  
 2 de luce lucem proferens,  
 3 primordiis lucis novae  
 4 diem dies illuminans.  
 5 Verusque sol illabere,  
 6 micans nitore perpeti,  
 7 jubarque sancti Spiritus  
 8 infunde nostris sensibus.  
 9 Votis vocemus et Patrem,  
 10 patrem perennis gloriae,  
 11 patrem potentis gratiae,  
 12 culpam releget lubricam.  
 13 Informet actus strenuos,  
 14 dentes retundat invidi,  
 15 casus secundet asperos,  
 16 donet gerendi gratiam.  
 17 Mentem gubernet et regat,  
 18 casto fideli corpore,  
 19 Fides calore ferveat,  
 20 fraudis venena nesciat.  
 21 Christusque nobis sit cibus,  
 22 potusque noster sit fides,  
 23 laeti bibamus sobriam  
 24 ebrietatem Spiritus.  
 25 Laetus dies hic transeat,  
 26 Pudor sit ut diluculum,  
 27 Fides velut meridies,  
 28 crepusculum mens nesciat.  
 29 Aurora cursus provehit,  
 30 aurora totus prodeat  
 31 in Patre totus Filius  
 32 Et totus in Verbo Pater.

**HYMNUS VIII**

A8 v.1 Aeterna Christi munera,  
 2 Et martyrum victorias,  
 3 laudes ferentes debitas,  
 4 laetis canamus mentibus.  
 5 Ecclesiarum principes,  
 6 belli triumphales duces,  
 7 coelestis aulae milites,  
 8 et vera mundi lumina.  
 9 Terrore victo saeculi,  
 10 spretisque poenis corporis,  
 11 mortis sacrae compendio,  
 12 vitam beatam possident.  
 13 Traduntur igni martyres,  
 14 et bestiarum dentibus,  
 15 armata saevit unguis  
 16 tortoris insani manus,  
 17 nudata pendent viscera,  
 18 sanguis sacratus funditur,  
 19 sed permanent immobiles  
 20 vitae perennis gratia.  
 21 Devota sanctorum fides,  
 22 invicta spes credentium ;  
 23 perfecta Christi charitas,  
 24 mundi triumphat principem.  
 25 In his Paterna gloria,  
 26 in his voluntas Filii,  
 27 exsultat in his Spiritus,  
 28 coelum repletur gaudiis.  
 29 Te nunc, Redemptor, quaesumus,  
 30 ut ipsorum consortio  
 31 jungas precantes servulos,  
 32 in sempiterna saecula.

**HYMNUS IX**

A9 v.1 Somno reffectis artubus,  
 2 spreto cubili surgimus,  
 3 nobis, Pater, canentibus  
 4 adesse te deposcimus.  
 5 Te lingua primum concinat,  
 6 te mentis ardor ambiat ;  
 7 ut actuum sequentium  
 8 tu, sancte, sis exordium.  
 9 Cedant tenebrae lumini,  
 10 et nox diurno sideri ;  
 11 ut culpa quam nox intulit,  
 12 lucis labascet munere.  
 13 Precamur iidem supplices,  
 14 noxas ut omnes amputes ;  
 15 ne ore te canentium  
 16 lauderis in perpetuum.  
 17 Praesta, Pater piissime,  
 18 patrique compar unice,  
 19 cum Spiritu paraclito  
 20 regnans per omne saeculum.

**HYMNUS X**

A10 v.1 Consors paterni luminis,  
 2 lux ipse lucis, et dies,  
 3 noctem canendo rumpimus,  
 4 assiste postulantibus.  
 5 Aufer tenebras mentium,  
 6 fuga catervas daemonum :  
 7 expelle somnolentiam,  
 8 ne pigritantes obruat.  
 9 Sic, Christe, nobis omnibus  
 10 indulgeas credentibus ;  
 11 ut prosit exorantibus,  
 12 quod praecinentes psallimus.

**HYMNUS XI**

A11 v.1 O Lux beata Trinitas,  
 2 Et principalis unitas,  
 3 jam sol recedit igneus,  
 4 infunde lumen cordibus.  
 5 Te mane laudum carmine,  
 6 te deprecamur vespere,  
 7 te nostra supplex gloria,  
 8 per cuncta laudet saecula.

**HYMNUS XII**

A12 v.1 Fit porta Christi pervia,  
 2 referta plena gratia,  
 3 transitque Rex, et permanet,  
 4 clausa, ut fuit, per saecula.  
 5 Genus superni luminis,  
 6 processit aula virginis,  
 7 sponsus, redemptor, conditor,  
 8 suae gigas Ecclesiae.  
 9 Honor matris et gaudium,  
 10 immensa spes credentium,  
 11 per atra mortis pocula,  
 12 resolvit nostra crimina.